

insidiari. Quantâ Ecclesie Dei hujus nostrae Academiae, hujusq; Reip.
clade ac jacturâ nuperrimè mors immatura terris eripuit D A V I.
D E M L O B E C H I V M, Sacrosanctae Theologiae Doctorem
& Professore hujus Academiae, & concionatorem hujus Reipub:
fidelissimum pariter, & praestantissimum, idq; in ipso virilis aetatis flo-
re, virum vix dum quadraginta quatuor annos natum: Sed, Deum
immortalem! quàm felici ingenio, quàm aceri judicio, quàm aberrimâ
facundiâ, quanto in disputando acumine, quantâ in docendo solerti
gratiâ, quanto in concionando ardore ac vehementiâ praeditum. Ni-
mirum inexorabile illud fatum nihil pensi habuit, quin Ecclesie Dei,
& nostrae Academiae, atq; adeo omnibus bonis tantum adferret detri-
mentum ac dispendium. Quibus nimirum ille jam dudum, ac strenuè,
& feliciter succurrere inceperat, Deo duce, comite fortuna: Quo ipso
tâm vehemens desiderium, tantamq; de se expectationem concitavit
apud bonos omnes: hunc nimirum unum illorum fore sibi non imme-
ritò persuadentes, quibus vindicibus ac defensoribus Deus Ecclesiam
suam tutatur, & contra lupos ab omnibus partibus ipsi imminentes,
defensat. Hunc talem ac tantum virum, L O B E C H I V M no-
strum, Ecclesie suae ostendit: Sed, proh dolor, ostendit tantum, &
praeter omnium spem & expectationem, procinus subduxit. Nihil
dicam de habitudine corporis, aut formae dignitate & gratiâ, quae in
ipso eximia & singularia, ut pleraq; alia. Accedebat ad haec candi-
dissimi & detœcati animi gratiosa quaedam vis, quae omnium bonorum
animos in sui amorem raperet, sibiq; benevolentiam apud omnes, quibus
cum versaretur, excitaret. Hanc fatalem quasi amabilitatem au-
gebat singularis quaedam morum comitas & dexteritas. Nihil et-
jam jam dicam de pacis & concordiae studio, & praeterea pluribus
alijs, quibus vel leviter delibandis & recitandis angusta haec pagella
non suffecerit. Vnum Ecclesie & Academiae nostrae nomine doleo
& deploro, tantos in hoc viro excellentis ingenij, & doctrinae fructus,
& tantas studiosorum spes, quae tali indoli, tali ingenio, tali doctri-
nae, studijs, & moribus certò debebantur, si quid modo omnino cer-
tum